

327

325

331

321

336

316

376

276

426

226

Ende

Anfang

316

prope Patras, urbem sui martyrii, et multae fiebant ad eum preces tamquam ad patronum regionis singularem.

Vicesima die, quae est beati Andreae festivitas, et erat Dominica prima Adventus Domini, transacta horribili nocte, cum lux oriri incepisset, videntes gubernatores nostri nullam aëris clementiam adesse nobis, de Maleae victoria desperaverunt nec in sinu illo manere poterant, cum terra circumjacens importuosa sit vel parvos portus habeat. Ideo eversis velis ventis classem commiserunt, et importuna celeritate classem rapuerunt eamque per scopulos et mare montuosum in insulas Cycladum reportaverunt.

Porro multas insulas pertransivimus, quae importuosae erant, et ad quandam quasi de extremis contra aquilonem insulam, quam sciebant portum capacem et securum habere, navem currere permettebant. Fecimus autem in quinque horis tantam viam, quantum non-expertus maris celeritatem credere non valet, et ad longum retrocessimus, et si ventum secuti fuissemus, deportati fuissemus usque in Lemnos, insulam Aegei maris contra Thraciam, in quam insulam dejectus fuit Vulcanus. Dicunt enim Vulcanum Jovis et Junonis esse filium; hic, eo quod claudus et deformis erat, quam cito natus est, a parentibus in Lemnon insulam est dejectus. Est autem insula grandis, sed pauci eam inhabitant, tum propter labyrinthum, qui ibi est, unus de qualuor, ut supra Fol. 159 (182a), tum propter fulmina frequentia, quae in ipsam cadunt. Porro Vulcanus nutritus est a simiis, quae solae insulam inhabitabant, et didicit artem fabricandi in metallis, unde faber Jovis dictus est, et officinae ejus sunt apud Liparam et Vulcanias insulas, quae alias Acolae insulae dicuntur, in quibus sedens cum Cyclopibus fabricat fulmina.

Igitur post longum insularum decursum in strictum quoddam canale incidimus, per quod caute transeuntes in latum et portum capacem venimus, profundum, tranquillum et securum, promontoriis altissimis undique conclusum. Tantus enim est portus ille in magnitudine, quod mille navium magnarum capax fuit. Non vidi per mare tam notabilem portum, non humano studio sed almi opificis sapientia ab initio conditum pro navium refugio et conservatione.

Insula autem, juxta quam portus ille est, dicitur Milo. Porro dum per canale portum intrassemus, vidimus ibi stare quatuor

